

ab anno scilicet 1778. ad annum usque 1807, quo ad Carpensem Ecclesiam fuit translatus, quam septem dumtaxat annis gubernavit. Praeter ea redditus Mensae Episcopalis Bricinorii annuatim tria circiter millia scutorum suppeditarunt ad annum usque 1790, quo nonnulla praedia deperdita sunt; post eam tamen deperditionem ad hanc usque diem libera et immunia percipiuntur quolibet anno scuta tercenta supra bis mille. Redditibus his licet translatus ad Ecclesiam Carpium ipse fructus est usque ad ad ultimum vitae diem ac proinde annis fere viginti septem, ut confirmat etiam Mutinensis Antistes in sua informatione. Carpensis vero Mensae Episcopalis redditus, quibus septennio illud gravisus est, licet annuorum scutorum mille ante translationem Episcopi Boschi summam conflarent in prospectu tamen horum reddituum anno 1805 laicae potestati exhibitio ad Episcopum obtinendum annua tantum scuta tercenta suppeditabant. Hinc concludit Capitulum Bricinorii, mirum haud videri debere si pretiosiora suppellectilia relicta fuerint huic Ecclesiae, non vero Carpensi, cum in S. Pii constitutione §. 11. praescribatur inter plures Ecclesias dividenda esse sacra suppellectilia *habita ratione fructuum et temporis*, quo praefuit antistes.

Ex his vero redditibus Ecclesiarum Bricinoriensis et Foropompiliensis tot annorum spatio perceptis argumentantur Canonici Bricinorii jus esse his Ecclesiis juxta Pianam constitutionem condicendi ab haerede universa sacra suppellectilia, vasa, ornamenta ad divinum cultum spectantia indebite percepta cum haereditate, si illa fuerint praefatarum Ecclesiarum proventibus a defuncto Episcopo acquisita, de quibus sermo est *in secundo*

dubio. Obstare quidem posset huic petitioni additio haereditatis a comite Boschi peracta ob Summi Pontificis intercessionem penes serenissimum Mutinae Ducem. Verum reponit Capitulum Bricinoriense postulare tantum ut res ad divinum cultum pertinentes ecclesiasticis redditibus acquisitae adscribantur suae Cathedrali ac paraeciae Foropompilii, nihil vero sibi curae esse quoad haereditatem, tum quia conflare haec potuit nedum redditibus parsimonialibus sed etiam industrialibus et patrimonialibus, quibus locuples erat defunctus Episcopus ante suam exaltationem ad Bricinoriensem sedem, tum etiam, quia in dubio nulli Beneficiato imputari potest inaequa divisio proventuum mere ecclesiasticorum ab aliis proventibus, de quibus plene disponere potest. Nihil autem his Ecclesiis obesse putat transactionem signatam inter comitem Boschi haeredem et Capitulum Carpense, quandoquidem hoc suis iuribus valedicere poterat ob litium timorem, non autem praejudicium inferre iuribus Ecclesiarum Bricinoriensis et Foropompiliensis.

Quatenus autem huic secundae instantiae canonicorum Bricinorii suum assensum praestent EE. VV., tunc iudicabunt utrum necessarium sit prius mandare vel actoribus ut probare debeant, quatenus eis ad divinum cultum pertinentes fuerint ab Episcopo Boschi ecclesiasticis redditibus comparatae, vel potius spectatae haereditis fidei committere, ut juratam illarum notulam exhibeat. Quod si haec necessaria non ducant, tunc saltem definiunt, in qua quantitate haec sacra suppellectilia adjudicanda sint Cathedrali Bricinorii et paraeciae Foropompilii. Duo itaque proponuntur controversiae capita:

I. *An sint consignanda Legata*

a defuncto Episcopo Boschi relicta Ecclesiae Cathedrali Bricinoriensi et Paraeciae s. Petri Foropompilii in casu?

II. *An et quomodo et in qua quantitate competant iisdem Ecclesiis res ejusdem defuncti Episcopi ad cultum divinum pertinentes in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Affirmative et esse inter eas exproportionabiliter dividendas ad formam constitutionis S. M. Pii V. incipien.: *Romani Pontificis*.

Die 22. Jan. 1820.

2) *Missarum perpetuarum.*

Frequentissime S. Congregatio C. in missis perpetuis pro manuali elemosyna celebrandis separationem edixit expensarum pro sacris utensilibus, ut in *Romana 27. Februarii 1717. lib. 67. decretorum pagina 96.*, et in *Fulginate 26. Martii 1718. lib. 68. decretorum pag. 121.*, et in *Romana 18. Novembris 1719. lib. 69. decretorum pag. 545.* et alias saepissime.

Die 26. Novbr. 1785. *Alexandrina.*

3) *Pretiosa.*

Ornatiora siquidem utensilia divinae magis conveniunt Majestati mentemque ad coelestia excitant; nec quavis ideo de causa interdici debent; *Albert. de Sac. Utens. cap. 4. num. 35. et segg.*

(Ex resol. S. C. C. diei 18. Julii 1789. *Derthonen.*)

4) *Subministratio.*

Cujus sumptibus subministr.?

Vid. *Stipend.* (Subtrahatio pro expensis; Num acceptatio licita etc., decr. Urbani VIII. in declarat. n. 7.)

Portio necessaria pro expensis nullo modo est detrahenda ex massa communi elemosynarum manualium missarum celebrandarum sed ex elemosyna cujuslibet sacerdotis celebrantis, ut patet ex declarat. Clem. XI, qui, quamvis de anno 1710 noluerit concedere, ut ex numero missarum relictarum altari privileg. archiconfrat. SSmi et 5 plagarum in ecclesia s. Laurentii in Damaso et ad faciendam rem gratam dictae archiconfraternitati applicare fecerit missas 40 pro illis quae a sacristia ejusdem archiconfr. celebratae non fuerant ex titulo deductionis: tamen ad repetitas preces eidem ss. Pontifici porrectas idem gratiam hanc concessit archiconfraternitati, ut posset pro se retinere obolum unum ex elemosyna sacerdotis pro dictis expensis sacristiae et s. Utensilium, ut refertur in visitatione s. die 1. Septbr. 1721. a Card. Zondadario §. 6. ibi: „Quoad missas adventitias satis provisum ex vivae vocis oraculo S. M. Clem. XI. habito a R. P. D. secretario hujus S. C. mediante facultate concessa confratribus retinendi pro Utensilibus obolum unum pro qualibet missa manuali, quod in posterum servari mandavit.“

Cumque aliud esset ortum dubium circa intelligentiam dictorum verborum, illud penitus sublatum fuit mediante declaratione R. P. D. Pallavicini Secretarii S. C. visitationis ap. sequentis tenoris:

Je bajocco si deve detrarre del' elemosyna de sacerdote, e non dalla massa commune dell' elemosine, come malamente facevano prima, e gli fu

probitio, e con l'autorita del Papa si applicarono altrettante messe di una religione agli obblighi, che erano rimasti non soddisfatti.

Sic refert ad literam D. Ursaya t. s. p. 2. disceptatio 26. a n. 17 ad 21, ubi dicit, ita constare ex biletio ejusdem sibi uti Priori archiconfraternitatis exhibitio, quod a se in ejus archivo relictum fuit.

Posse Episcopos adstringere capellanos et beneficiatos (non censuris) ad providendum de proprio paramenta. S. C. Ep. in *Surrentina* 11. Apr. 1589 ap. Monac. p. 1. t. 13 form. 2. n. 56 in fine. Vd. Ursayam t. 7. p. 1. discept. 14 per tot. ubi multa ad rem.

Ad dub.: An manutentio altarium, quae, sunt de jure patronatus, ac ornamentorum necessariorum pro eisdem altaribus spectet ad ipsos patronos aut ad ecclesiam, in qua dicta altaria sunt erecta, stante consuetudine, quod patroni nunquam fuerint coacti ad dictam manutentionem sed eandem impensam praestiterit ecclesia, prout hodie supplet impensas mapparum et omnium paramentorum sacerdotalium: nec beneficiati, qui habent capellanas erectas in dictis altaribus, possunt eidem manutentioni concurrere stante redditu tenuitate vix excedentis onera missarum, quae dictis capellaniis annexa sunt?

S. C. resp.: Teneri Ecclesiam ad tramites consuetudinis legitima, in reliquis prout de jure.

Die 10. Mart. 1633. in *Urbinat.* ad C. Trid. c. 7. S. 21 et c. 9. S. 22.

Sic ap. Pignat. t. 5. consult. 15. n. 1.

In casu igitur, quo per tempus legitime praescriptum consuevit Ecclesia subministrare manutentionem

talium altarium et providere de s. Utensilibus, tenetur id perseveranter adhuc praestare, arg. cap.: *Cum toto* 11. de consuetud. Tunc enim censetur Ecclesiam fuisse a fundatoribus seu benefactoribus sufficienter ad id dotatam et dos Ecclesiae censetur etiam dos altarium.

Si tamen Ecclesia non sic consuevit dictam manutentionem et provisionem de s. Utensilibus praestare, tunc, cum non censeatur fuisse ipsam ad id sufficienter dotatam, potest fieri praeceptum patronis beneficiorum, ut intra competentem terminum provideant altaria de omnibus necessariis vel ut dotem praestent seu augeant sub poena privationis eorum juris, quo competente termino elapso et non parito ad privationem procedi potest. Hinc altaria inornata et indotata posse ab Episcopis et Regularibus concedi aliis patronis, qui eis provideant, si proprii patroni post tertiam monitionem cum aliquo intervallo vel termino non adeo coarctato ab Ordinario faciendam id praestare negligant vel recusent, posseque in tali casu a Regularibus et aliis superioribus Ecclesiarum de iis ad libitum disponi, scilicet dirui vel aliis concedi, saepe saepius in facti contingentia resp. S. C. Ep. et signanter in Mutinensi 2. Maii 1602. et 2. Jan. et 3. Julii 1602 et 16. Febr. 1603 et 9. Jan. 1604 et 9. Oct. 1618 ap. Pignat. t. 9. consult. 82 n. 145.

Et praeceptum de dote augenda seu de novo tradenda fieri quoque potest, etiamsi in fundatione fuerit sufficienter a patrono assignata et deinde tractu temporis fuerit diminuta seu penitus consumpta et in tali casu, si antiquus patronus nolit ipsam dotem augere seu de novo assignare, post trinam ut supra ei factam monitionem amittit jus patronatus. *Fagn.* in cap.:

Quoniam 2. de jurepatronatus n. 59, *Reiffenstuel* l. 3 decretal. tit. 28. n. 4.; *Pignatell.* t. 6 consult. 15. n. 4. et alii.

Et ratio clara est, quia patronus tenetur ad omnia onera altaris seu capellae aut Ecclesiae, ut tradunt communiter doctores; cum justum sit, ut, qui sentit commodum juris honorifici, sentiat etiam incommodum talium onerum, per text. in l. *secundum naturam* est 10. ff. *regal. juris*, et cap.: *Qui sentit* 55 de regul. juris in 6. Inter ipsa autem onera venit obligatio ecclesiam seu capellam restaurandi ac etiam a fundamentis reaedificandi, si aut collapsa fuerit aut resp. ruinam minetur et ipsam sufficienter dotandi seu de omnibus necessariis providendi, arg. *Novella* 66 c. 2: c.: *Placuit* 1. *caus.* 1. *quaest.* 2., cap.: *Piae mentis* 26. *caus.* 16. qu. 7; cap.: *Nemo* 9. *dist.* 1. de consecrat., cap.: *Dum sicut* 8. de consecrat. *Eccles.*, cap.: *Quoniam* 3. et cap.: *Nobis* 15 de jurepatronatus, cum similibus, juncto concilio Trid. S. 24. de ref. c. 12. et S. 21 c. 7. Et sic tenent *Lambertin.* de jurepatr. l. 1. p. 1. *quaest.* 11. art. 7. n. 3. 5. 7. et l. 3. qu. 7. art. 5. n. 1., *Barbosa* ad Concil. S. 21. c. 7. n. 8 et de potest. Epis. alleg. 64. n. 16. et alleg. 102 n. 10., *Antonell.* de regim. *Eccles.* l. 1. c. 2. n. 33., *Sperell.* dec. 60. n. 11 et sequ.; *Pitanus* de *controvers.* *Patron.* t. 1. alleg. 12. a n. 4 ad 8., *Card. de Luca* de jurepatr. disc. 52 n. 12, *Ventrigl.* in praxi part. 2. annot. 18. n. 2. annot. 19. n. 33. et alii passim expresse dicentes teneri patronum et reparare seu restaurare ac etiam, cum opus fuerit, a fundamentis reaedificare capellam seu Ecclesiam et ipsam providere de utensilibus, paramentis, calicibus et omnibus aliis necessariis ad divi-

num cultum et ad divina celebranda, cum sit onus de jure infixum ossibus patroni, sicuti est onus patrisfamilias providere filiam de sibi necessariis.

Si vero patronus ab initio assignavit dotem ita abundantem, ut sufficiat et pro sustentatione capellani et pro reparatione ac manutentione capellae, tunc, nisi adsit contraria consuetudo aut certa distincta portio reddituum assignata pro tali manutentione et necessariorum provisione, tenebitur capellanus seu beneficiatus ad ipsam manutentionem et providendam de omnibus necessariis: *Genuens.* in praxi c. 109 n. 13, *Pignat.* t. 6. consult. 15 n. 5., *Sperell.* d. cis. 68. n. 11., *Ventrigl.* cit. annot. 18. n. 10. et annot. 19. n. 33. et alii passim per text. in cap.: *Si Monachus* 22. *caus.* 16. qu. 1., c.: *Quicumque* 1, et c.: *De his* 3. de *Ecclesiis aedificandis* cum similibus, juncto Concilio Trid. S. 21. c. 7. de ref. Et ratio est, quia beneficiatus aequiparatur in vita usufructuario, cap.: *Praesenti* 9. de off. Ordinarii in 6, cap.: *Requisitis* 15 de testamentis, cap.: *Si quis* 5 de peculio clericorum. Usufructuarius autem tenetur ex fructibus res conservare in bono statu et ad sartacta; leg. *usufructu legato* 7. §. 2. ff. de usufructu etc., leg. *Eum*, ad quem 7 *Cod. eod.* etc. Tum quia beneficiatus sub peccato mortali redditus beneficii suae honestae sustentationi superfluos tenetur erogare in causas pias; inter causas autem pias respectu beneficiati potissima est reparatio seu restauratio suae capellae ac provisio de utensilibus aliisque necessariis pro ipsa.

Et dato, quod nec patronus nec rector beneficii aut Ecclesiae possint necessaria ministrare et aliter necessitati provideri nequeat, tunc non potest converti in talem necessitatem pecunia seu eleemosyna destinata pro

celebrandis missis, ut voluerunt *Ricius* dec. 123. p. 2., *Genuensis* in praxi n. 5. et alii, sed omnino celebrandae adhuc sunt tot missae, quot praescriptae fuerint a fundatoribus seu offerentibus eleemosynas vel adeunda est sedes ap. pro provisione juxta decr. S. C. C. de celebr. miss. in resp. ad I. et VII. confirmata ab Innocent. XII. constit. incip.: *Nuper* etc.* ut recte observavit Episcopus Lyciensis in sua 2. synodo dioec. §. 2. in annotat. et *Pignatell.* t. 6. consult. 15. n. 5.

Si autem agatur de beneficiato et Ecclesia parochiali et nec parochus nec patronus possint Ecclesiam reparare ac de utensilibus et aliis necessariis ipsam providere, tunc compelli ad id possunt parochiani. Sic expresse statuit Concil. trid. sess. 21. de ref. c. 7. ibi: „Parochiani omnibus remediis opportunis ad praedicta coguntur.“

Et ratio hujus obligationis est clara, quia parochiani percipiunt a praedicta Ecclesia sacramenta et divina et hoc est opus publicum et commune ac concernens omnium utilitatem et necessitatem. Et sic tenent doctores communiter.

Montis Regalis Provinciae Taurinen.

Petente a s. Congregatione Archiepiscopo Bannano dioecesis Montis Regalis provinciae Taurinen. declarari dubium: an ipse teneatur ministrare sacerdotibus ad ejus Ecclesiam confluentibus vel alias intra limites ejus parochiae commorantibus ceram, hostiam, vinum et paramenta pro missis celebrandis? Sacra Congregatio jussit ad Ordinarium dirigi literas, ut moneat sed non cogat oratorem ad hujusmodi ministranda. Die 19. Junii 1655.

(Anal. J. P. 1863 pag. 329.)

*) *Stipend.* (num. accept. licita sit, decr. Innoc. XII. et decr. Urbani VIII. declarat.)

Parochi non tenentur subministrare capellanis seu presbyteris in suis Ecclesiis parochialibus celebrare volentibus paramenta et alia necessaria; nec ad id possunt per Episcopos cogi sed tantum hortari. S. Congr. Episc. et Regul. in Montis alti 15. Maii 1699. Non obstante solito. S. Congr. Rit. in Egitanien. 10. Junii 1692; confirmata in Suanen. 31. Maii 1698 apud Monacell. tom. 1. tit. 10. formul. 18. num. 6.

Utensilia sacra non tenetur rector Ecclesiae subministrare illis Sacerdotibus, qui in eadem celebrant ex obligatione beneficii seu capellaniae. Quatenus vero permittat seu recipiat missas adventitias in sua Ecclesia celebrari, tenetur ad dictam subministrationem; non potest demum cogi ad admittendas missas adventitias, nisi solutis sacris utensilibus, s. Congr. Concil. in Derthonen. 7. Julii 1726 ad 11. dub. apud Ursayam in 2. Miscellen. sacro et profano tit. 5. n. 67. Vide ipsum etiam tom. 7. part. 1. discept. 14. per tot.

Utensilia persolvenda esse Ecclesiae, ubi missae celebrantur, sed in ea quantitate, quam communis cujuscumque loci et Ecclesiae usus praefinivit; *Monacell. formul. legal. part. 4. num. 118. p. 107., s. Congregatio in Romana Utensil. 13. Septembris 1738. thesaur. resolut. tom. 8.* Observat autem taxam pro utensilibus in urbe praefinitam summam non excedere scut. 4. pro qualibet missa quotidiana.

(Ex resol. S. C. C. diei 17. Septembris 1774. *Romana.*)

Verulana.

In Ecclesia collegiata s. Mariae Frusinonis plures extant capellaniae, quas inter recensetur quaedam a familia Guilielmi constituta, qua nunc fruitur

Canonius Andreas Borsa. Hujus capellaniae patrono ex vetusta consuetudine jus est in sacrario Ecclesiae asservandi sacram suppellectilem et quidquid necessarium est, ut capellanus missarum oneribus satisfiat. Hanc quidem ob causam nec a patrono Guilielmi nec a memoratae capellaniae rectoribus ullo unquam tempore sacrario Ecclesiae utensilium titulo quidquam persolutum fuisse satis innotescit nullaque in praesens ea de re excitatur controversia. Reliqui autem capellaniarum Rectores sacrario Ecclesiae statum pro utensilibus stipendium semper solvere consueverunt et nunc etiam solvunt praeter sacerdotem Franciscum Turriziani capellaniae possessorem, quae a sua familia in eadem Ecclesia constituta est. Cum enim ipse seu sacerdos, qui pro eo missas capellaniae Turriziani inhaerentes litare solet, jam inde ab anno 1831 usus fuerit sacra suppellectili ceterisque ad sacrum faciendum necessariis, quae non ad Ecclesiam s. Mariae spectant sed ad familiam Guilielmi, praefinitam pecuniae vim ejusdem Ecclesiae sacrario exsolvere detraxit. Id quidem aegre admodum ferens major aedituus Canonius Nicolaus Vespasianus supplex postulat, ut sacer hic ordo de nova hac quaestione velit decernere.

Episcopus de sententia rogatus censet pro capellano Turriziani quaestionem esse definiendam, ita edisserens: „Quod aliquid solvendum sit pro usu sacrarum utensilium ratio naturalis dictat et jura decreverunt saepissime; injustum enim esset, quod Rectores Ecclesiarum aliquod paterentur damnum ex alieno commodo. At quando nullum illatum est damnum, nulla facienda est compensatio. Quapropter sacerdos Turriziani, qui anno 1831 celebrare fecit missas suae capellaniae

per sacerdotem Andream Borsa adhibitis non utensilibus Ecclesiae sed utensilibus alius Patroni, non debet resarcire damna, quae non intulit. Item nullam in posterum praestare summam debet Ecclesiae, si Ecclesiae utensilibus minime utatur annis futuris.“

Hactenus Episcopus. Jam vero convenit inter partes a capellano Turriziani certam pecuniae vim sacrario Ecclesiae collegiatae titulo utensilium esse praestandum, si ipse, quando divinae rei operatur, sacra utatur ejusdem Ecclesiae suppellectili. Quamvis enim decretis de celebratione Missarum ab hac s. Congregatione tempore sa. me. Urbani VIII. editis in responso ad septimum dubium hisce verbis propositum: An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis mantentionis Ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similibus, responsum fuerit: „Permittendum non esse, ut Ecclesiae ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint, et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynam“: nihilominus legem illam vim suam dumtaxat exserere in Missis manualibus et adventitiis, non

autem in perpetuis ac quotidianis notavit s. Rotae tribunal decis. 463. n. 6. cor. Molines atque etiam certo concilium ex responso hujus sacri ordinis in Auximana 23. Febr. 1726, in qua licet ageretur de Ecclesia Cingulana peculiare habente redditus sacris suppellectilibus instruendis addictos, rescriptum prodit: Rectores beneficiorum capellanos perpetuos, Canonicos obtinentes ultra canonicatum capellanas perpetuas et ipsum Capitulum pro rata onerum ad rationem unius oboli pro qualibet missa exceptis tantum a solutione utensilium missis adventitiis. Conclunt rescripta in Romana 10. Maii 1727, in alla Romana utensilium 24. Martii 1736, in Viterb. capellaniae 30. Maii 1767 ad VI. dub.

Imo a presbyteris quoque missas adventitias litantibus utensilium solutionem aliquando exigi posse, habetur in Derthonen. 6. Julii 1726; cum enim secundo loco quaereretur, an Archipresbyter Ecclesiae oppidi pontis Curoni sit obligatus subministrare vinum, ceram et hostias capellans aliisque presbyteris de clero celebrare volentibus vel obligatis ad celebrandum missas in eadem Ecclesia? Emmi Patres responsum dedere ad II.: Archipresbyterum non teneri ad subministranda utensilia, de quibus agitur, illis, qui celebrant in sua Ecclesia ex obligatione beneficii seu capellaniae, exceptis illis, cum quibus habet conventiones particulares et quoad missas adventitias teneri ad dictam subministrationem quatenus permittat, eos in sua Ecclesia celebrare nec teneri ad has missas adventitias admittendas nisi solutis utensilibus per celebrantes. Quam quidem utensilium solutionem adeo iustitiae consentaneam putavit s. Congregatio, ut in quadam Tudertina relata in Camerinen. utensilium 9. Septembris 1741. §. Quia rescrip-

serit, capellaniarum rectores omnino adigendos esse ad pendenda utensilia tametsi ipsi eorumque antecessores omnia necessaria pro missarum celebratione a Capitulo cathedralis Ecclesiae usque ab immemorabili tempore accepissent.

Solummodo ab hoc onere eximuntur ii, quibuscum peculiaris est pectio, ut in cit. Derthonen., et ii, qui nullo accepto stipendio ac sola devotione ducti rem divinam faciunt, quemadmodum decrevit hic s. ordo in Maceraten. 14. Aprilis 1686. S. Congregatio attenta relatione Vicarii capitularis Maceraten. censuit quoad sacerdotes habentes officiatum in Ecclesia praedictorum fratrum servandam esse ultimam synodum decernentem obolum unum pro cera et medium obolum pro consumptione paramentorum, quo vero ad sacerdotes accedentes ad eandem Ecclesiam pro eorum mera devotione fratres praedictos nihil praetendere vel exigere posse pro huiusmodi consumptione. Duo tamen hoc in casu sunt notata digna; primum quod huiusmodi sacerdotes scribere teneantur in libro sacristiae, utrum celebraverint pro elemosyna vel pro mera eorum devotione ut in eadem Maceraten. utensilium 14. Maii 1729 ad II. dub., alterum, quod administratores Ecclesiarum, si sacrarium prematur inopia, nullo jure adstringantur illis sacerdotibus sola pietate sacrum facturis permittere, ut missam ibidem celebrent ceu tradit Benedictus XIV. instit. eccl. 56. §. 13. Haec tamen haud sibi quidquam officere arbitrabatur capellanus Turriziani. Etenim certum satisque exploratum autumat, quamdam pecuniae vim sacrario Ecclesiae esse repraesentandam ob ceram, vini et hostiae expensas, inservientium incommo- dum ac sacrarium vestium consumptionem. Cum

autem ipse sacris Ecclesiae Collegiatae suppellectilibus minime utatur nullumque eidem Ecclesiae inferat damnum, quilibet evanescit titulus, cur sacrarium quidpiam utensilium nomine exigere valeat. Nec sibi putat posse inferri vim ad adhibendam Ecclesiae suppellectilem; nulli enim id jure cautum reperitur, immo in folio Terracinen. utensilium 28. Januarii 1758 ab Episcopo opinionem datam fuisse legitimus, ut Capellani vel solvant pro utensilibus vel proprias candelas, vinum et paramenta secum afferant. Turrizianus itaque haud redarguendus, si aliis potius quam Ecclesiae suppellectilibus utatur, atque optandum foret alios eum imitari: „Hoc siquidem, ait Verulanus Antistes, utilius est cuicumque Ecclesiae quam subministrare capellanis utensilia. Horum enim subministratio est onus, est gravamen, est damnum ex parte rectorum Ecclesiarum, non favor. Hinc si sacerdos Turriziani per aliquot annos usus fuit Ecclesiae utensilibus eaque per usum consumpsit, onus intulit, gravamen intulit ideoque obligatus fuit damna resarcire. Et Canonicus sacrista dolere potius deberet de eorum usu non vero de non usu, et decipitur, cum ipse considerat usum et consumptionem utensilium Ecclesiae collegiatae, tamquam jus ipsi Ecclesiae favens, vi cuius vellet, ut cum ipse usus fuerit aequae ac antecessores capellani per aliquot annos Ecclesiae suppellectilibus, adhibere nequiret nec proprias nec aliorum patronorum gratis subministrare volentium. Si capellanus quilibet potest sibi propria utensilia providere, potest etiam uti utensilibus tertiae personae, quando huic placeat commodare. Et hoc praesertim obtinet in casu nostro. Sacerdos Turriziani est praeceptor filiorum Guillelmi. Quid igitur prohibet, ut hic sit gratus praeceptor subministrando gratis utensilia suae capellae? Sed Canonicus sacrista ideo dolet de hoc, quia capellanus Turriziani utens utensilibus familiae Guillelmi praepredicium infert Ecclesiae collegiatae. At quare, quaeso, praepredicium infert? Nullum equidem, imo favet eidem Ecclesiae, quia hujus utensilia minus consumuntur.“

At vero canonicus sacrista a jure deviam et sacrario noxiam existimat facultatem illam, qua capellani pro suo lubitu modo propria vel aliena modo ipsius Ecclesiae sacra suppellectili uti valeant. Id unum siquidem jure sancitum est, ut quicumque accepto stipendio missam celebrat, ex consuetudine loci solvat pro utensilibus nisi peculiaris cum eo intercesserit conventio. Nulla autem inter Capitulum Collegiatae ac familiam Turriziani interfuit ejusmodi exemptionis, quin imo solutio pro utensilibus ad annum usque 1830 peracta commonstrat, eo pacto a Canonicis probatam fuisse in Ecclesia collegiata capellaniae constitutionem, ut ejusdem rector taxam pro utensilibus sacrario Ecclesiae penderet consuetam. Immerito itaque ab huiusmodi pactione et a diuturna observantia hodiernus capellanus resilire nititur ac alienam suppellectilem, invito Capitulo, adhibet, ut debitam effugiat pro iisdem solutionem. Frustra etiam Turrizianus usum alienae suppellectilis in majorem vergere jactat Ecclesiae utilitatem; novit quippe Capitulum, quid sua intersit; sacrario quidem sacris suppellectilibus jam instructo valde incommodum ac etiam noxium censet Canonicus sacrista capellanum Turriziani utensilibus nunc Ecclesiae nunc familiae Guillelmi identidem uti, quemadmodum etiam anno 1831 aliquando accidisse constat, quin taxam utensilium solvat: gravior insuper detrimen-

tum sacrario inferretur, si familia Guilielmi jus sibi assereret, sicut Turriziano ita et aliis Capellanis commodandi suppellectilem, quo fieret, ut sacrarium illis privaretur subsidiis, quibus plane ipsum indigere comperitum est, qua ad comparandam, qua ad fruendam sacram suppellectilem.

Haec Canonicus sacrista. Illud porro notatu dignum est, in impertienda ex apostolico indulto temporaria facultate ut quis alibi sacra peragat, quae ex testantium voluntate aliqua in Ecclesia essent litanda, eam ut plurimum imponi conditionem, ut taxa pro utensilibus Ecclesiae solvatur, licet in ea non celebrentur Missae: constat quidem eam regulam in sacrae visitationis Congregatione omnino servari, etsi quandoque praescripta expresse ea conditio non sit; quin imo pro iis etiam missarum oneribus, quae cura ejusdem sacrae visitationis implentur, utensilium impensa per eam ex legatorum censu solvitur Ecclesiis ac si ibidem ex institutionis lege satis iisdem factum fuisset.

Quae sane exempla videntur haud dubiam normam suppeditare, ut de proposita hac quaestione decernatur.

Sit itaque

Dubium:

An Capellanus Turriziani teneatur solvere utensilia sacrario Ecclesiae seu potius ab eadem solutione eximatur non utendo sacris suppellectilibus Ecclesiae Collegiatae in casu?

S. C. resp.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Die 24. Novembris 1832.

Praenestina.

Non teneri Joannem Antonium Cap-

poni Parochum ruralis ac filialis Ecclesiae sub titulo SSmi cordis Jesu juxta erectionem hujus paraeciae peractam anno 1788 a clar. me. Cardinalis Marci Antonii Columna ad turnum missae primae, sollemnis et ultimae per alium celebrandae in matrice Ecclesia s. Petri definiuit sacer vester concessus in Congregatione diei 20. Junii anni 1818 contra Beneficiatos et Archipresbyterum praefatae matricis Ecclesiae, qui ruralem Parochum illi oneri subjectum contendebant, eo quod duobus beneficalibus praebendis fruere pro congrua novae paraeciae perpetuo in erectione unitis. Cum autem obreptionis et subreptionis vitio laborare diceretur pontificium rescriptum, quo novae paraeciae erectio probata fuerat, prima dubii formula respiciebat: utrum arbitrium pro aperi-tione oris adversus illud intraret, reliqua vero dubia exemptionem a turno et eleemosynas missarum a Parocho solutas suspiciebant. Propositis itaque dubiis:

I. An intret arbitrium pro aperi-tione oris adversus rescriptum diei 12. Decembris 1787 in casu etc.?

II. An Parochus Ecclesiae SSmi Cordis Jesu teneatur ad turnum missae primae, sollemnis et ultimae per alium celebrandae in Ecclesia archipresbyterali in casu etc.? Et quatenus negative.

III. An restituendae sint Parocho Capponi eleemosynae ab ipso solutae pro dictis missis in casu etc.?

Responderunt EE. VV.

Ad I. et II.: negative;

ad II.: negative;

ad III.: affirmative a die recursus Parochi Capponi.

Licet autem in ea causae specie relatae preces et votum Emmi Co-

lumna pro erectione paraeciae, ubi etiam de Parochi exemptione sermo erat ab onere sacrario assistendi, quod ultimo beneficiato incumbit, nihil tamen peculiariter de hoc disceptatum est ob parochi ruralis silentium quoad idem onus. Verum preces instauravit penes s. Congregationem, ut etiam ab illo ad formam erectionis exemptus declararetur, quae clarae memoriae Cardinalis Caracciolo Episcopi pro informatione et voto remissae fuerunt rogatusque fuit, ut audiret beneficiatos ac resolutionis capitularis copiam transmitteret.

Quid tum a Beneficiatis, qui exemptioni adversantur, tum a Parocho afferatur necnon rationum momenta sive in jura sive in facto complectitur Vicarii generalis informatio, quam hic transcribo.

Novae preces EE. VV. Rmis porrectae a Parocho Capponi Terrae Surronis haud militant adversus Capitulum illud, ut indictae apparent, sed adversus ultimum Beneficiatum illius archipresbyteralis Ecclesiae s. Petri, in quem detorquenda facti series quam exponam et per eum obreptam expostulat omnino. Praestat modo nosse quid sit munus sacristiae in illa Ecclesia, et ad quem spectet assumere curam.

De hoc munere simplicem fecit mentionem Emmus Episcopus Columna anno 1787, in quo pro obtinenda erectione novae paraeciae ruralis in dicta terra ab apostolica sancta sede narravit Pontifici onera adnexa sex beneficiis jurispatronatus Excellentissimae Familiae Columna. Nella Terra di Serrone, oltre l' Arciprete vi sono altri sei Beneficiati tutti di Nomina dell' Eccma Casa Colonna, i quali hanno il peso per il turno di celebrare per comodo del Popolo nei di

Festivi la prima Messa senza applicazione, cantare la Parrochiale, dire l' ultima, ed uno di essi deve celebrare nella Chiesa rurale di S. Quirico, e resta all' ultimo Beneficiato il peso di assistere alla Sagrestia. Ex hac narratione solummodo patet onus assistendi per ultimum Beneficiatum sacristiae, desumptum vero ab immemorabili consuetudine et non lege erectionis et canonicae institutionis dictorum sex beneficiorum, quum propter incendium obortum anno 1500 in hac episcopali cancellaria monumenta erectionis et alia periere, neque ex tot bullis collationis ipsius ultimi beneficii post dictum incendium expeditis favore defunctorum Beneficiatorum de hujusmodi onere ne ullum quidem perlegitur.

Ast nisi litera narrationis occidat debet esse hujusmodi onus ultimo Beneficiato injunctum, simplex assistentia et cura tantum sacristiae, videlicet leve onus praeparandi paramenta sacra in sacrificiis peragendis etc.; et hoc onus apud meum animum statuerem fuisse ex suo initio penes sex Beneficiatos per turnum commune, ut et caetera munia. Tandem video, quod per consuetudinem, latet enim sui ortus, initium sublatum fuit et commutatum ad aliud onus, nempe assistendi deserviendique Ecclesiae et ibi peragendi cuncta, quae peragunt minuti Clerici, quos nominamus vulgo: *Chierichetti di Chiesa*. Et quidem hoc onus non sustinebatur per ultimum Beneficiatum sed per aliam personam semper plerumque laicam exercitum et exerceri adhuc constat inter omnes, soluta tamen mercede scut. quindecim per quemcumque ultimum Beneficiatum ex pecunia non massae communis, sed ex suae Praebendae redditibus. Ita servitium sacristiae transivit ad aliud Ecclesiae.